

5. In Christo vero, i. e. propter Christi meritum finaliter apprehensum tacta est nostra electio Eph. I. 4. 5. Quod ipsum meritum, cum intrinsece valorem habeat divinum, causa moralis instrumentalis dici nequit. *

6. Quamvis Electionis terminus interdum respectum tantum habeat ad gratiam, 2. Pet. I. 10. stricte tamen acceptus denotat electionem immutabilem. 2. Tim. II. 19. *

7. Prædestinatio non est Universalis, sed particularis. Matth. XX. 16. *

8. Certus omnino potest esse homo suæ electionis, verum hæc certitudo non est absoluta, sed ordinata. Luc. X. 20. 2. Tim. II. 19. Phil. II. 12. *

9. Phrasis illa: *Inscribi in Librum Vitæ*: Non semper denotat electionem ad vitam æternam, sed aliquando tantum electionem ad gratiam. vid. Psal. LXIX. 29. Apoc. III. 5. & XII. 19.

10. Neque in Epistola Judæ v. 4. Neque in 1. Thess. v. 9. agitur de præscriptione sive reprobatione hominum ad mortem.

11. DEUS præsupposita mortis Christi pro omnibus Peccatoribus universalitate, salva sua justitia & misericordia neminem præterire potuit; impium itaque est, meram DEI voluntatem reprobationis facere fundamentum. 1. Joh. I. 9. *

12. Datur tamen justa quorundam reprobatio, cujus dextra explicatio quam maximè conducit ad coërcendos bonos & commovendos malos 2. Thess. I. 9. *

13. Reprobationis causa meritoria est, finale meriti Christi repudium, Marc. XVI. 16. Joh. III. 18. 36. *

14. Hoc ipsum repudium cum jam ab æterno præviderit DEUS, ipsam quoque reprobationem ab æterno decretam esse, rectè adseritur, Matth. XXV. 41. *

15. Potest reprobus quoad tempus esse in statu verè credentium, ipsiusque fides est vera specie fides. *

16. Numerus reproborum excedit numerum electorum, Matth. XX. 16. VII. 13. 14. *

DISPUTATIO XV.

De Justificatione in tota sua latitudine spectata.

1. Vocatio ad salutem non fit propriè per legem, sed per E-
van-
G 3